

Varia.

Decreta iam alias edita tempore belli, quae omnino adhuc videntur.

In actis Apostolicae Sedis (an. VII, n. 13, d. 31 Iulii 1915) haec quae sequuntur Decreta «denuo edere peropportunum visum est, quum, hodiernis rerum adiunctis, integre ipsa omnino vigeant». Eorum altero, a S. Poenitentiaria prolatu d. XIII mens. Martii an. MDCCCLXXXVIII ad *Ordinarios Locorum in Italia*, praescribitur «permitti posse ut occasione, de qua quaeritur — (scilicet belli, quod tunc temporis ab Italiam in Africa gerebatur) — a parochis aliquis ecclesiasticis viris — (quum res bene cesserint) — canatur hymnus ambrosianus, ita tamen ut post hymnum ambrosianum recitentur versiculi tantum communes et unica oratio pro gratiarum actione, omissis quocumque alio versiculo et oratione; itemque permitti posse ut sacrosanctum Missae sacrificium, aliaeque funebres caeremoniae celebrentur, quin habeantur in Ecclesia nec a viris laicis, nec a viris ecclesiasticis et ab ipsis Ordinariis funereae orationes. Cavendum omnino, ne haec omnia in politicos sensus retorqueantur».

Aliud decretum est S. Rituum Congregationis *De suffragiis pro defunctis in bello Tripolitano*, dat. d. III mens. Februarii MCMXII, per quod «mandat ac praecipit Sanctitas Sua, ut in eiusmodi funeribus, etsi fiant diebus a rito permisis, nemo, cuiusque sit dignitatis, sermones aut funebres orationes, in quibusvis ecclesiis seu oratoriis, habere praesumat».

Vita funeti viri clariores.

Romae, die XIX mens. Augusti MCMXV fato concessit Purpuratus Pater **Seraphinus Vannutelli**, Episcopus Ostien., Portuen. et S. Rufinae, Sacri Cardinalium Collegii Decanus, Poenitentiarius Maior. Natus erat in oppido Genazzano Praenestinae Dioecesis d. XXVI mens. Novembris MDCCCLXXXIV.

Ex Pontifícia Commissione de Re Biblica.

Dubia de Parousia, seu de secundo ad-

ventu D. N. Iesu Christi in Epistolis S. Pauli Apostoli.

I. Utrum ad solvendas difficultates, quae in epistolis S. Pauli aliorumque Apostolorum occurruunt, ubi de «Parousia», ut aiunt, seu de secundo adventu D. N. Iesu Christi sermo est, exegetae catholico permisum sit asserere, Apostolos, licet sub inspiratione Spiritus Sancti nullum doceant errorem, proprios nihilominus humanos sensus exprimere, quibus error vel deceptio subesse possit? — Resp. Negative.

II. Utrum prae oculis habitis genuina muneris apostolici ratione et indubia sancti Pauli fidelitate erga doctrinam Magistri; dogmate item catholico de inspiratione et inerrantia sacrarum Scripturarum, quo omne id quod hagiographus asserit, enuntiat, insinuat, retineri debet assertum, enuntiatum, insinuatum a Spiritu Sancto; persensis quoque textibus epistolarum Apostoli, in se consideratis, modo loquendi ipsius Domini apprime consonis, affirmare oporteat, Apostolum Paulum in scriptis suis nihil omnino dixisse quod non perfecte concordet cum illa temporis Parousiae ignorantia, quam ipse Christus hominem esse proclamavit? — Resp. Affirmative.

III. Utrum attenta locutione graeca «ἵμετς οἱ ζῶντες οἱ περιλειπόμενοι»; persensa quoque expositione Patrum, imprimis sancti Ioannis Chrysostomi, tum in patrio idiomaticum in epistolis Paulinis versatissimi, liceat tamquam longius petitam et solido fundamento destitutam religere interpretationem in scholis catholicis traditionalem (ab ipsis quoque novatoribus saeculi XVI retentam), quae verba sancti Pauli in cap. IV, epist. I ad Thessalonicenses, vv. 15-17, explicat quin ulla modo involvat affirmationem Parousiae tam proximae, ut Apostolus seipsum suosque lectores adnumeret fidelibus illis qui superstites ituri sunt obviam Christo? — Resp. Negative.

(D. XVIII mens. Iunii MCMXV).

Dr. JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Ex off. S. LAPI in Civitate Castelli.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italianam libell. 12 (doll. 2.40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ☈ ☈

SOCIIS NOSTRIS HUMANISSIMIS

Sociorum nonnulli per elapsum Septembrem mensem Augusti, superioris, fasciculum repetiverunt, quem deperditum autumabant. Satis iis a nobis responsum videtur in ipso proxime edito fasciculo, apud quem, binis illis mensibus inscriptum, rationes (pag. 156) declaravimus, unde ad unionem hanc coacti essemus. Addere tamen hodie iuvat:

A) Fasciculum VIII an. II, scilicet mensis Augusti et Septembri MCMXV simul iunctorum, ante Idus Septembri prodiisse et ad socios omnes esse missum, eos etiam qui nondum subnotationis suaे premium solverunt, vocemque nostram «clamantem in deserto» reliquerunt adhuc. Si igitur a publico cursu non traditus est, is vere in itinere periit et iure est a nobis requirendus, qui iterum diribitorio statim concredemus.

B) *Per factam intermissionem socii cuiusque annuam subnotationem esse eo ipso ita prolatam, ut — quemadmodum alias diximus — tum demum absolvatur, quum pacatos fasciculos duodecim singuli habuerint.*

ALMA ROMA.

Quibus praeceptis Iustini Epitome sateat, breviter inquiritur.

Perlegenti mihi Iustini Epitomen, illud idest opus in quo auctor, quem paene sub silentio tenebrisque scimus delitescere, in angustum Historias Philippicas Pompei Trogi coegerit, ac breve veluti florum corpusculum fecit, hoc prium occurrit, rerum narrationi modo simplici et nullo scribendi artificio exaratae, modo vero tumidae et nescio quid poetici redolenti, hue illuc sententias et praecepta de moribus inserta patere. Iustinus enim etiam in narrando modo vitiorum insectator appetet, modo virtutis magister; quo munere vel nimium gaudet. Nullam autem occasionem prae-

termittit quin, ubi res exposcat, de virtute quaedam praecipiat, rerum narratori officium deserens, quod in eo consistit ut sub oculis veritas simplex et nuda, sine ira et studio, nulla opinione praecaudata, subiciatur. Quia in re Iustini compendium peccat; quod etsi haud parvi momenti sit, quum operis integri amissi vicem supplet et notitias ferat nullo alio fonte deponendas, idecirco nobis pretiosas, plus iusto praecipiendi docendique consuetudini indulget atque in rhetoricae laqueos illabitur.

Fortasse hic quaerat aliquis: Si Epitome Iustini non caret hoc vitio, tribusne id ipsi breviatori, an Trog, qui opus integrum confecit? Quum per difficile sit huic quaestioni responsum dare, potest tamen per inductionem, seu ἐπαγγήν, asseri, Iustum qui, ut ipse loquitur in praefatione, in cogendo plura omiserit quae nec cognoscendi voluptate iucunda, nec exemplo essent necessaria, huic mori magis quam Trogum inservisse. Quibus enim temporibus litterae pronae in ruinam vergebant, et nullum sane opus conficiebatur quod cum illis optimis Augusti aetatis exemplaribus comparari posset, ecquid mirum si in dies rhetorica succrescens in mentes ingueret et narratoris officium praeceptroris quoque confunderetur? Neque tunc solum litterae ruebant; mores quoque labebantur ad mollitatem, et prisca gravitas simplicitasque rarius fiebat. Hinc sequitur ut scriptores occasionem arriperent opportunam in morum perversitatem sua aetatis invehendi... Ceterum, Iustinus subtiliori, quam antea fuit, loquendi rationi interdum studet, qua ipsa re signum senioris aevi iam ad cognitionem prioris continetur. (1)

Praecepta, quibus Epitome scatet, quaeque nonnulli litterati homines diudi-

care voluerunt veluti signum auctorum argenteae aetatis praestantissimum, (2) opinionem eiusdem Iustini, sive *breviatoris*, de iis quae narrat, amplectuntur atque una rhetoricae artis usum ac studium testantur.

Sententiae, in quas incidis, ita possunt dividi:

- 1) de studio reipublicae;
- 2) de fragilitate humana;
- 3) de virtute paupertatis deque insperata Victoria;
- 4) de fortuna et favore hominum;
- 5) de facundia mores pravos celerante;
- 6) de immodica possidendi libidine;
- 7) de luxu et magnificentia convivii;
- 8) de potestatis ambitione et causis bellorum;
- 9) de discordia, de iure amicitiae non fide sed successu ponderato; de iusto Pyrrhi discessu; de amicitiarum cultu;
- 10) de gravitate Romanorum et iustitia;
- 11) de religione, etc.

Ex quo indice, seu *paradigmata*, facile est intellectu quo consilio et arte historiae tunc conserverentur! Quaedam enim dixeris argumenta a scriptore esse sibi proposita, quibus virtutem inculcaret et vitium fugiendum admoneret, quasi historia tabella esset pieta qua recti mores mandarentur! Non solum enim, uti censem antiqui iudices, quorum princeps Quintilianus, historia est proxima poëtis, (3) sed etiam opus rhetoricum, cuius auxilio hortationeque virtus magnopere utitur.

(1) Cf. FRID. FISCHER, *De Eloctione Iustini*, Halis Saxonum, 1868.

(2) Cf. FISCHER, loc. cit.

(3) « Historia est proxima poëtis et quodammodo Carmen solutum ». Cf. QUINTIL., X, 1, 31.

Quum autem universas Iustini sententias afferre hic nequeam, nonnullas tamen profero, praesertim quae ad patriae caritatem spectant, quaeque etiam nunc ad animos inflammados magna sunt significazione et vi:

1) Tunc a regina castigati, si pro salute patriae asperiorem vitam recusarent, cui etiam ipsa vita, si res exigat, debeatur... (XVIII, 6, 4);

2) Sed Africanus privata beneficia a rebus publicis secreta esse dixit, aliaque esse patris officia, alia patriae iura, quae non liberis tantum, verum etiam vitae ipsi preponantur (XXXI, 7, 6);

3) Reliquit imperium, plus regio quam patrio nomini ratus potiusque patriae quam liberis consulendum (XL, 5, 10).

Haud dubium est quin istiusmodi sententiae, more *parenthetico* inventae, quasi rerum narrationi commentario sint, ad Trogum, seu potius ad Iustum, pertineant, eaeque vel maxime de scriptis ratione testantur, qui res et eventus ita fingit repraesentatque ut suo consilio inserviant. In lib. II, cap. 2, 11, nonnullae cogitationes leguntur, quae etiam nunc quamplurimum valent, ut pote quae bene possint hodiernae populorum collisioni et conflagrationi violentissimae, in quam nos quoque Itali, vi turbinis abstracti, descendimus, aptari, quaeque belli originem causasque explicant:

« Atque utinam reliquis mortalibus similis moderatio abstinentiaque alieni foret; profecto non tantum bellorum per omnia saecula terris omnibus continuaretur, neque plus hominum ferrum et arma, quam naturalis fatorum condicio raperet, prorsus ut admirabile videatur, hoc illis naturam dare, quod Graeci

longa sapientium doctrina praecepsaque philosophorum consequi nequeunt, cultosque mores incultae barbariae conlatione superari. Tanto plus in illis proficit vitiorum ignoratio quam in his cognitio virtutis ».

Pulera quidem et opportuna sententia, quae etsi parum in historiam quadrat, quae non de moribus hominum dicit, sed res ordine, simplicitate, praesertim fide narrat evolutique, tamen nos edocet de egregiis auctoris sensibus eiusque prudentia.

Alio loco Iustinus, victoria Demetrii in Ptolomaeum commemorata, qui amissa classe in Aegyptum fugit eiusque Demetrii laudata effusione qui, etsi victor, filium Ptolomaei Lentiscum et fratrem Menelaum amicosque eius cum privati instrumenti ministerio... Aegyptum remittit, non potest quin, tantae generositatis exemplo commotus, exclamat: « Tanto honestius tunc bella gerebantur quam nunc amicitiae coluntur! » (XV, 2, 9).

Nescio num quid ex hoc tenui indicio possit percipi ad aetatem, qua Iustinus vixerit, definiendam, de qua, ut alias vidimus, valde adhuc disputatur; videant tamen peritiores si quid certi haec morum adumbratio in se habeat.

Hae aliae sententiae, passim excerptae, afferantur:

— Tantum virtutis paupertas adversus insolentes divitias habet, tantoque insperata interdum sperata Victoria certior est (XX, 5, 4);


— Quo se fortuna, eodem etiam favor hominum inclinat (V, 1, 11);

— ...more ingenii humani, quo plura habent eo ampliora cupientes (VI, 1, 1).

Ex iis quae diximus, in Iustini Epitome videmus quasi vocem accipere illius exercitationis rhetoricae, quae aeta-

te, quae dicitur argentea, magno fuit in honore apud Romanos, quaeque e schoulis umbraticis in vitam transducta, ingenia sibi allexit tenuitque sollicite devincta, adeo ut mentem, litteras, rationem quoque vivendi ad eam informarent.

MARCUS GALDI.



PETRUS ROSATI

Inter praecipuos aureae latinitatis cultores, qui nostra aetate Italianam illustrarunt et quorum fama exteris etiam regiones pervagata est, merito recensetur Petrus Rosati, sacerdos e religiosis Coetu, qui a S. Barnaba nomen accepit. Quem eheu! invida mors nobis rapuit die XXXI superioris mensis Augusti, cum vix editum fuisset postremum eius carmen *Anticato*, magna nuper laude ornatum in poetico certamine Amstelodamensi.

Natus ille erat an. MDCCXXXIV in oppido *Civitella del Tronto* Provinciae Interamnensis Picenae (*Teramo*), ibique etiam supremum diem obiit, octogenario maior. Solebat enim eo reverti per ferias aestivas atque autunnales, postquam reliquam anni partem docendo in academiis urbanis exegisset. Docuit autem, successu temporum, Parmae, Neapoli, Bononiae, Monte Calerio et Florentiae, atque omni loco eruditione sua admirationem doctorum, sua vero comitate et paterna benevolentia discipulorum amorem mirum in modum sibi comparabat.

Ante annos quinque commemorabat annum quinquagesimum a suscepto sa-

cerdotio atque ab inito simul litterarum magisterio; cui festae commemorationi multi interfuerunt viri praeclari et in litteris versatissimi.

At praecipuo coluit noster studio poësim latinam, in qua ita excelluit, ut eum natum crederes tempore Vergilii atque Horatii. Inde ab an. MDCCCLXXIV carmina coepit typis vulgare, quae tamen hactenus sparsa tantum existunt, nec in unum corpus collecta fuerunt. A vicennio et amplius, certamini Hoeufftiano interfuit, quod Amstelodami singulis annis indicitur, in quo saepissime maximis laudatus est verbis; quin etiam, uti audivimus, aliquando viator exstitit, numismate aureo donatus. Longum foret horum carminum titulos referre; sat is erit et lectoribus profecto iucundum si in his paginis unum exscripserimus, quod an. MDCCCCVII Amstelodami sumptibus Hoeufftianis in lucem prodiit, inscriptum *Rusticatio*. Quibus in versibus, egregia arte tornatis, ex una parte auctoris optimum gustum litterarium demirari licebit; ex altera vero indolem eius mitem et honestissima ruris pulchritudine et voluptate captam.

Nec solum Petrus Rosati eximius fuit poeta: verum etiam sacerdos et coenobita exemplaris; quare spes laeta arredit, eum nunc fore caelestibus admixtum choris, qui Dei maiestatem perpetuis celebrant concentibus.

FRANC. X. REUSS.

Durior est conditio spectatae virtutis, quam incognitae.

Cic., *Brutus*.

Virtutem incolumen odimus;
Sublatam ex oculis quaerimus invidi.

HORAT., *Od.*, III, 18.

RUSTICATIO

(Carmen PETRI ROSATI).

*Euge! catenati tandem fluxere labores,
Paene absumperunt mi urbana negotia vires.
Sirius ardescit caelo, sol igneus urbes
Incendit, largus manat de corpore sudor,
Vix captare datur raras pulmonibus auras.
Exulat ex oculis somnus, languensque recusat
Ferre cibum stomachus, quatit ilia anhelitus aeger.
Rura placent: in picenos iam cogito colles,
Sumque morae impatiens, amor urget ruris aprici.
Vidulus est tibi quam citius, puer, ante parandus,
Tessera emenda viae. Laticis iam sudor anhelat
Aestu exsultantis per viscera caeca lebetis,
Fumidus atque alte subito volat impetu ad auras:
Sibilus auditur; clamat « licet ire » satelles:
Labitur atque trahit rapidos rota servida currus.
In votis quod erat, finis noctisque viaeque
Adfuit, optatamque datum mihi tangere metam.
Eminet in tumulo, exceptit quae candida villa,
Hadriaci unde maris prospectus gratior, unde
Despectare licet sparsas prope littora villas.
Fertilis et Cerere haec tellus et commoda Baccho,
Per clivum et campos passim nascuntur oliae.
Largior hic aether, veniensque ex aequore perflat
Mollior aura genas, et anhelos mitigat aestus.
Huc fons accedit, gelidis nitidissimus undis.
Blandusia, ille tuae, ille tuae, Feronia, lymphae
Certet, quem nunquam vesana canicula tangit.
Ut potare invat latices e fonte petitos,
Cum capiti imposita Drusilla revertitur urna,
Faucibus et siccis largitur amabile frigus.
Heic nova visendi me non trahit ulla cupido.
Visum alii tendant fissi miracula montis,
• Ducas ad Helvetios qua Italos via secta per alpes;
Nec Mediolanum cupio, quo cogitur omne
Artifices quidquid reperere ubicumque locorum
Ingenium comitante manu; breviora secutus,
In tenui volupst, minimis ego rebus amicus.
Gallinam cerno parvam cum prole vagantem,
Rixantes gallos adversa fronte iuvencos,
Maiores et gallum vexantem iure minores;
Spes etenim una gregis cum sit sua iura tuetur
Acer et indomitus: lucis qui nuncius ales
Excitat agricolas cantu, atque ad rustica pellit
Munia. Quo auditio festinant iungere tauros,
Ducit anus pastum pecus, auxiliante puello,
Solliciti una omnes opera ad terrestria surgunt.
Heic posuit sua regna labor, nec segnus uxor
Sole perusta viro in partem venit ipsa laboris.*

Pomorum, et fucus inter nigrescere frondes
Incipiunt, mensae gratissima dona secundae.
Ut placet hasce manu ramis decerpere fetus,
Atque referre domum nigrantia mora, rubentes
Arbutas bacas; acetaria agrestia, sonchos,
Eruca, inulasque et amaris intyba fibris.
O mare, tu mea cura, mare et permagna voluptas,
Quod simul aspexi teneris immotus ocellis,
Me puer, obstipui, immensum miratus et aequor
Et tam grata mihi toto vada caerulea ponto.
Candida nunc etiam ut quondam me linteas tangunt,
Et nigræ capiunt ea monstra natantia, naves.
Est in conspectu binis via ferrea lammis:
En fragor audiri currus, ruit ordo rotarum,
Itque reditque urgens fumantes Mulciber axes,
Et citus apparet, citiorque recedit in horas.
Tu, Neptune, mihi spectacula dulcia præbens,
Semper ades, cum mane rubes oriente, dieque
Cum labente nites tremulo sub lumine solis.
Aspice quam multæ pandant sua carbasa puppes
Aequora verrentes, pariterque per aequora lapsae
Binae procedant, humentia lina trahentes.
Spe vigil incubit, totusque in imagine praedest
Piscatu vivens, aucturus nauta macellum.
Est tubulus, duplex tegitur quo vitreus orbis,
Per quem mirifice grandescere parva videntur.
Protinus ad moto hoc oculis ego singula cerno.
Frontibus ecce duo iunctis ad littora cursu
Naviculae appoperant, nosco sua signa, colorem
Velorum croceum, quis purpurea assuitur cruz.
Iam nautae arripiunt remos, propioraque nobis
Littora nota petunt, et quidquid retibus haesit
Squamosi pecoris reserant, soleas, salientes
Mullos et squillas, et munera cetera ponti.
Confertim huc omnis, quam compulit ardor emendae
Turba coit praedae, et sese prævertere certant.
Densum humeris vulgus putrem proculat harenam;
Nunc hos nunc illos video motare lacertos
Ictibus et cubiti obstantem laxare catervam,
Paene audire mihi videor convicia vulgi.
Est qui audax tentat nudatis cruribus undas,
Arreptit prorae, melioraque præmia captat.
Sit puer ille meus gallinae filius alba!
Auriga, ire para, collo ferat essedamannus,

Est animus lymphis mersare salubribus artus.
Sin equus hesterno cursu lassante quiescit,
Illa movens sese mannis nova rheda remotis
Ignifer automolus ferat hinc ad littora velox.
Conditum expressus tabente bitumine succus,
Suggeriturque ignis costis ferventis aheni,
Alternos vapor hinc ortus per viscera motus,
Excitat, atque rotas ullis sine ductibus urget.
Iam ferimur, raucis resonat mugitibus aether,
Externata fugit viso omnis belua monstro,
Villicus ipse sibi cavit, attonitusque refugit.
Quis nunc aequoreos lusus, quis gaudia fando
Explicit? indutus tunica bicolore, caputque
Velatus petaso rectus vada frigida tento,
Mox totum corpus salsis audientior undis
Obiecto, dum membra tremunt, abeunte calore.
Quin etiam studio incensus magis alta natandi
Ingredior frela; nunc pronum me sustinet unda
Brachia more canis iactantem et crura moventem,
Nunc ritu exanimis placita requiete supinus
Sternor; dein celeri converso corpore iactu
In caput ima peto ranarum more profundi,
Occultum donec per iter caput effero ab undis.
Tum corpus placet ignitis obvolvere harenis,
Rursus et alterius iactu do me aequor in altum.
At tuba terribilem sonitum crepat aere canoro,
Automolus revocat, meque in mea regna reducit.
Haud mora, tempus adest stratis accumbere mensis.
Non quali accubuit Mentem intenta Minerva
Telemacho præbente Ithacæ in penetralibus altis
Cena mihi; aut qualem Aeneae pulcherrima Dido
Ornavit. Caput hoc: cerealis massa bacillus
Porrecta in longos pullorum in iure natantes.
(Res placet haec adeo macaronica Parthenopeis).
Dat laniena bovem, pontus conchylia, pisces,
Hortus olus, bacchum mihi frigida diluit hornum.
Intortum folium e pastu pressare labellis
Non sperno et paulum iuvat indulgere quieti,
Concoquere ut liceat somno: nebulisque solitus
Lectito ephemeras, vagor, otio. Haec mea vitast
Dum vacat, et phœbo torrentior aestuat annus,
Umbros dum præbet, fetuque exuberat arbos,
Rure ego viventem, ferat alter in urbe beatum.

DE PIORUM HOMINUM SOCIETATE CUI NOMEN A "CRUCE RUBRA"

Iuvabit meminisse atque identidem in
mentem revocare recentem triumphum,

quem, hisce etiam temporibus, refert
ubique terrarum splendida illa homi-
num clarissimorum societas, quae no-
men habet a *Cruce Rubra*. Et quam
recte id ipsum nomen suave Redem-

ptionis nostræ pretium reminiscitur et
honorat!

Sed quid sibi vult haec societas, et
cur hoc nomine decorari voluit? Si tibi
est, candide lector, tantus amor pias
gloriosarum rerum cognoscere causas,
sic libenter incipiam. Magna omnium
admiratione, dum acriter pugnatur com-
plures homines ac mulieres, imaginem
Crucis rubro colore contextae in bra-
chiis gerentes, in acie adstant, ut quot-
quot vulnerati ceciderint in auxilium
adcurrant.

Haud te latet quam misera sit sem-
per vulneratorum conditio, sed eorum
miserrima omnino fuit apud veteres gen-
tes. Qui enim illa tempestate sauciis,
vel leviter vel graviter, in acie pugnando
in armis defecisset, nec sibi iam posset
esse auxilio, diu saepe et nimis diutius
semianimis aegerque inter mortuos re-
manebat, omnibus ignotus et extrema
quaque passurus.

Et ista tristis pugnantium retributio
vel novissimis temporibus viros bellantes
premebat. Hinc innumerabilia morien-
tium tormenta; hinc longus in angustiis
vulneratorum cruciatus, hinc quoque de-
mum infelix tot virorum desperatio.
Nec rarius omnino e latebris suis in
illam copiosam mortuorum segetem ac
sanguinis effusionem rapaces aves irru-
ebant et belluae, quae avidius, malesuada
fama obrepetae, mortem saepe morientium
festinarent! Atque ita multis labentibus
saeculis mortalis commiseratio dolebat
pro militibus, qui post pugnam, omni-
bus abditi neglectique manerent in acie,
et inter mortuos tot vulneribus mul-
tati. Ad haec in manus hostium si
vulnerati incidissent, vel in pistrino va-
letudinem receperissent, vel damnati ca-
pitis miseram vitam finiebant, vel sal-
tem in aliena potestate constituti cru-

deli servituti servire cogebantur. Et ipsi
Romani vulneratos saepe in spem triun-
phi servabant.

Quum tandem populis Sol divinae be-
nignitatis adparuit, et miseris duellan-
tibus hominum commiseratio refusit.
Tunc enim mira christianorum virtus
exstitit, qui, ex divina Christi indul-
gentia, in homines vel adversarios dona
sua effundebant, qui malis premerentur
atque angoribus. In omnibus enim lan-
guentibus ipsum Iesum mirifice hono-
rari iubebant, eosque gratiis muneri-
busque cumulari. Attamen quam adhuc
erat infelix vulneratorum conditio! Quam
apte ac graphice miserorum sortem vel
apud christianos eosdemque Italos de-
pinxit Manzonius. « Hic victorum clā-
mor et laetitiae cantus, illie morientium
desolatio »:

*E il clamor delle turbe vittrici
Copre i lai del tapino che muor!*

Namque in bellis gerundis longe alia
erat hominum natura ac religio.

Tunc advenerunt philosophi, qui alii
alia ratione, verbis, libris ac sapientissi-
mis consiliis eo omnino spectabant, ut
omnes in bellis, sed imprimis in acie
vulnerati melius haberentur.

Et ille qui tot certamina gessit, qui tot
intulit vulnera populis, Napoleon, vīctor
ad Marengum haec verba memoranda,
pacem petiturus, imperatori Austriaco
dedit: « Ab ipso proelii loco, inter mul-
torum vulneratorum clamores atque in-
ter quindecim et amplius millia militum
desideratorum, ut tu humanitatis vocem
auscultare velis rogo ego atque obte-
stor! ».

Sed ipso regnante quot infelices in
nivibus Russiae sepulti, miris ac multis
modis implexi, miserrime post incredi-
bilia tormenta novissime occubuerunt!

Tunc demum anno saeculi nuper elapsi quinquagesimo tertio, ex ardente bello Gallorum cum Anglis sociis ac Turcis adversus Russos, veluti divinum caelestis Numinis solatium primum ad paruerunt vel inter praelandum, ut vulneratos reciperent, atque tollerent in tutum, ut eos in extremis solarentur, virgines Deo votae, quibus est nomen a caritate inditum. Quarum exemplum omnes nationes admiratae sunt, et ipsae Anglicae foeminae sequi sunt conatae. Hoc Societatis initium, cui nomen a *Cruce Rubra*.

I. B. F.



ARCHEOLOGICAE NOTAE

*De templo Iovis Latiaris
deque recentibus circa ipsum effossionibus.*

II.

Inter tot tantasque celeberrimi Latiaris templi ruinas, quisnam antiquitatis studiosus fortunatum se negaret, si ei potestas offerretur efficaces per vestigations agendi, quae ad ipsius restitutio nem adducerent, aut situm saltem ubi praecise illae aedes extactae fuerint, determinarent? Atque tamen haud multi id tentarunt, inducta passim opinione recentioris coenobii fundamenta super antiqui templi fulcimine posita fuisse.

Ab hac sententia iam dissensit Michaël Stephanus De Rossi, Ioannis frater, qui in oratione habita die decima quinta mensis Decembbris MDCCCLXXVI de effossionibus ab « Instituto Archaeologico Germanico » in latiali monte recens deditis, aiebat: « A clarissimo Riccy moniti sumus extremam ruinam reliquiis templi Iovis Latiaris an. MDCCCLXXXIII

allatam fuisse, quando scilicet illuc aedificia adhuc existantia erecta sunt. Equidem id vulgo credi poterat ex repertis fastorum inscriptionumque fragmentis; quae tamen nihil aliud erant praeter lapidum cumuli, illic ad fabricationem congesti. Iuxta rerum ex adverso statum et significationem, a forma iconographica saeculi XVII, veram monumenti topographiam nobis indigitam esse patet ». (1)

Forma, de qua De Rossi loquebatur, ea est, quam in superiore fasciculo edidimus, et iuvat hodie sub oculis iterum habere, ut, quae litteris indicata sunt, omnia in aperto sint: (2)

A) Fanum;

B) Basis aerae quae superest;

C) Reliquiae maceriarum veterum;

D) Puteal ex unico lapide striatum cisternae veteris; (3)

E) Maceria, sive murus antiquus ex quadrato lapide;

F) Gradus per quos ad eam patet ascensus;

G) Fovea sive receptaculum profundum;

H) Via silicea antiquo strata, maceris obrepta.

Cum hac forma congruere effossiones illo an. MDCCCLXXVI peractas idem Michaël Stephanus De Rossi ostendit, diagrammate facto, quod hodie et nobis exhibere atque illustrare datum est. Eius denotationes sunt prouti sequuntur:

1. — Parvus centralis aediculae fundamentorum tractus in effossionibus repertus.

(1) Cfr. *Annali dell'Istit. di corr. arch.*, 1876, pag. 314.

(2) In titulo schemati eidem apposito typorum error irrepsit. Ubi enim legendum erat: *asservatum*, scriptum est: *osservato!*

(3) Id vero haud in suo loco descriptum est.

2. — Tractus septi an. MDCCCLXXIX detectus.

3-4. — Loca in quibus gressus antiquae viae recognitus est.

5. — Cisterna cum erosionis cuniculo in clivo montis (C').

serius, nostra fere aetate, refecta est).

8. — Muri tractus antiquam viam munitis. (1)

9. — Muri cuiusdam conclavis cum solo ex musivo opere albo et nigro, et cum foricula ad erivandas aquas.




DIAGRAMMA CACUMINIS MONTIS LATIALIS A MICHAËLE STEPHANO DE ROSSI EXHIBITUM.
(Inserta in eo est Barberiniana forma, quam ampliorem in sup. fasc. edidimus).

6. — Cuniculus cum suo purgatorio, cuius aqua (D) in cisternam (5) profluebat per cuniculum A' B B''; quod si aqua excederet, ab altero cuniculo B' C' emittebatur.

7. — Cisterna altera. (Eius vero antlia

(1) Riccy in substructione ad meridiem saepe recessus turres recognoscere credidit. E contra, huiusmodi turrium species ex muro procedebat

10. — Supplementum viae in gradationem F immittentis a bifurco H, ubi aditum alterum ad meridiem efformabat.

11. — Murorum reliquiae.

12. — Aedificia hodierna, et hodierni horti septum.

ad eruppidinis formam; eius simili, qui in exstruendis turribus adhiberi solet.

(Lineae illae subtile, irregularia polygona describentes, areas excavatas indicant).

*
**

Michaëlem Stephanum De Rossi a veritate non longius aberrasse nostris hisce



FRAGMENTA TEMPLI IOVIS LATIARIS
IN RECENTIBUS EFFOSSIONIBUS REPERTA.

diebus confirmavit vir clarissimus ac reverendissimus Caelestinus Piccolini ex

(1) C. PICCOLINI, *La topografia del tempio di Giove Laziale e la costruzione dell'Eremitorio sul Monte Cavo (Grottaferrata, Tip. Italo-Orientale)*.

(2) De curatore aedis sacrae fragmentum non

Ordine SSmae. Trinitatis pro redemptione captivorum, (1) qui ex coenobio ubi residet ad radices Latialis montis, archiva Ordinis sui — qui per aliquot annos Cavense quoque monasterium possedit — itemque Tusculanae Curiae atque privatorum perscrutatus, novasque effossiones aggressus, novam lucem in rem apportavit, clarius ostendens topographiam templi oram extra ambitum hodierni aedificii requirendam esse; praeter dimidiam scilicet adiacentis horti partem, ubi comprobatum est antiquam viam vertisse ad meridiem. Sed tamen quae, remota circum terra, apparuere, si veterum aedium fundamenta ipsa existuisse evincunt, aperte simul ex crassitudine sua praeferunt, ea potius ad aedes templo adiectas, sive etiam ad monumenta votivaque sacella proxime elata, (2) pertinuisse; minime vero ad ipsum templum Iovis Latiaris, ex magnis, imo immanibus saxis illis constructum, quae in horti aggere, quem nunc constituant, admiramur. Quin etiam, quum eorum plura visibilibus architecturae elementis redundant, inde quoque coniici datur templum ipsum magnificentia insigne fuisse, licet a splendore illo distans quo deinceps Olympicum Iovis templum effulsit. Scimus

longe repertum loquitur. De monumento triumvir M. Antonii inibi cum eius statua constituto scribit DIONYS., lib. I; de sacello Iunoni Moneetae a C. Cicereio dedicato, LIV., XLV, 14, etc.

equidem simplicitatem spatiumque angustum antiquorum fanorum peculiares notas constituisse, quippe quae unico sacello constarent numinis figuram tegente; attamen materiae copia in monte Cavo extans adhuc — (quanta autem dispersa est ad moderna aedificia illic struenda et in viciniis passim?) — satis demonstrat Latiaris Iovis templum non unico sacello componi debuisse, idque a *peribolo* saltem fuisse conclusum, hoc est a muro illo sacrum spatium circumserbente, ubi minor, sacella votiva, statuae araeque erigebantur.

Re quidem vera, ad Cavi montis radices, iuxta Numinis viam, etiam nunc inventiuntur passim columnarum tympana a summo devoluta. Numne haec columnae atrium sive pronaum sustinere poterant, fastigio ita coronatum, ut severum magnificumque *templum in antis* efformaret? Atque adeo id comprobatur ab ingenti quodam saxo cum *strigilis* unius ex antis, quod inter macerias hodierni aedificii hortum sepientes, ultra carpinum saeculorum aetate venustrum et immensum, quem diximus sese in medio montis cacumine extollentem, et nunc conspicitur. Saxum hoc superiorem partem alterius ex strigilatis antis composuit, cui insistere epistylum debuit et super hoc corona, cuius angulus cum suis prominentiis atque den-

ticulis, identidem, at solus, contra carpum illum iacet. Harum reliquiarum figura Hetruscorum templorum formam revocat, quorum designatio bifariam exhibetur: pars prior porticu occupabatur; altera vero, sacro sacello. Quod si praeterea in schema rursus animadvertisimus, quod Barberinianum archivum nobis asservavit, sive ex visu ab auctore




SUMMI MONTIS LATIALIS (NUNC CAVI) HODIERNUS PROSPECTUS.

fuit delineatum, sive etiam ex Gobelini, Pii II historici, testimonio effectum, cogitantes templum dirutum quidem fuisse, sed lapidum congeriem tum, magna saltem ex parte, ad nullum usum fuisse asportatam, concludere fas est Latiaris Iovis templum ex quodam aggere sive aggestu constituisse, septo atque elato in vertice montis, cum peribolo, ara sub imbre, et sacello sive fano, Numinis signum tegente.

Atque tamen non credibile videtur, tot studiis licet effossionibusque adhibitis, tanti aedificii vera fundamenta detegi nondum potuisse. Quod privatorum conatus efficere non valuerunt,

praestabitne magistratus Italorum monumentis praepositi sollertia... et crumenta? Hoc est in votis.

* *



COMMUNIA VITAE

Super arte de modice comedendo.

II.

Monitum, quod Americanus doctor gravi supercilie impertitur, et veteres nostri repetere ad satietatem consueverunt, et nos a teneris unguiculis satis superque didicimus: « Prima digestio fit in ore ».

Nihil est igitur quod hospes diu multumque moretur ut nos sapienter de hoc ipso arguat. « Nos — ait — comedimus praepropere, imo voramus potiusquam delibamus; ingurgitamus avidius et cito, veluti si famelicorum turba ad latera nos urgeret nosque e mensis repellentes et fercula nostra deturparet ».

Ne fac equidem ut centies bolum eudem dentibus conficias. Omnis enim disciplina in sola salivatione niti videatur: ab ipsa ciborum appetentia exortur, ab ipsa quoque moderatio; quoniam ipsa edendi voluptatem sollicitat, eam ad cibos eligendos movet, ipsaque ad abstinentiam excitat.

Primum itaque huius rei praeceptum, quo cuncta scientia ponitur, hoc est: « Cibos solidos, quod potes, dentibus bene confice: liquidos vero sorbillare oportet, eosque in ora retinere usque dum suum saporem omnino amittant ».

Et quoniam trahit sua quemque voluptas, haec te ad illa trahat eligenda alimenta, quae magis sunt corpori con-

quisita. Sic enim corpori dabit quod ei tantummodo convenit, atque adeo, quoniam corporis machinae nullam vim infers, vivere sic poteris in centum annos et in valetudine bona.

Ecce quomodo hanc legem domi apud se Fletcher servet: « Comede parum, sed e plurimis ferculis: bibe multo minus; mande at plurimum! »

Ita non modo rei domesticae consularis corporisque valetudini, sed, quod caput est, adpellaberis vir emunctae naris in parandis mensis et superbi pulcherrimique fastus. Huius prudentiora consilia adprobarent severis suis legibus doctores maximi Studii quo Cantabrigii sedet in Anglis.

Quid restat? Quoniam tot sunt huius disciplinae commoda, si certe eam prosecutus fueris, depulsa rei penitus familiaris caritate, optima corporis salus adstruetur et mentis serenitas atque robur, ars vera acuendi augendique epularum defectus, vultus hilaris nitidusque inter edendum omnibus qui huius rei sunt probatissimi magistri, et demum ac prae ceteris exoptandum, in aevum longissime vives.

Auctor hic quantus est totus americanus est; sui videlicet iuris atque iudicii, nihil ab ipsa religione quaeritat, quae multa quidem in rem suam ei maximique ponderis suppeditare potuerit.

Re enim vera nonnulli christiani primaevae aetatis, multo religionis studio florentes, quos patres adpellamus solitarios, quod deserta loca atque solitudines incolebant, unius poenitentiae desiderio, novam itemque sanctissimam vivendi rationem invexerunt, quae in immensum cuncta de hac re inventa recentiorum hominum superat.

Herbis enim et aqua contenti vitam

diutissimam agebant, ut complures eo viatae genere compulsi, desertum habitatum peterent. Sed isti, plane hospites in iis que ad animorum cultum pertinent, et toti in divitiis parandis, augendis atque cumulandis, quibus Aligherius carmen illud dicaret: *Ma i rostri non appreser ben quell'arte!*, surdis tantummodo canunt, remque antea bellissime actam denuo agere superbe sed perperam autuant.

Ad haec, uti appendix, opportune accedat quid de eodem argumento scripsit, commodius pressiusque, more suo, Leo XIII P.M. En paucula eius monita:

*Munditiae in primis studeas; sine divite cultu
Mensa tibi, nitidae lances et candida mappa.
... Sobrios at caveas, nimia ne crede lyao,
Neu crebra pigeat calices perfundere lympha.
... Sint tenerae carnes; instructaque fercula
[spissum]
Non ius vel siser inficiat, non faecula coa.
Tum laudata tibi sint ova recentia, succum
Lento igne aut libeat modicis siccare patellis,
Sugere seu mollem pleno sit gratius ore...*

Eset mihi voluptas totum exponere carmen... sed finis est monitis quoque ponendum.

Namque sapientissimus morum magister quum alios monet, candidissime in seipsum lectores inspicere hortatur. Dum omnes ad illud perlegendum comode revoco, suis sic verbis concludo:

*De tenui victu haec teneas, his utere tulus,
Ad seram ut vivas sanus vegetusque senectam.*

SUBALPINUS.

Vid. in pagg. 179-180:

FRANCISCULI PRANDIUM

“Almae Romae,” Anthologia

« SEMPER DUM VIVAM TUI MEMINERO »
VARII DICENDI MODUS.

(Ex elegantiis A. MANUTII IUN.)⁽¹⁾

22. — Ego ne tam iucundi convitoris unquam vivus queam oblivisci.

23. — Tum demum domini sui oblivisci poterit C. C., quum ipse sui desinet memor esse.

24. — Dum mihi sensus ullus mei reliquus erit, tu semper animo nostro obversaberis.

25. — Cordi meo carior es, quam vivo quidem in oblivionem venire possis.

26. — Intime nostris in praecordiis reposus est C. C. sic, ut praeter unam mortem nulla res illum illinc queat eruere.

27. — Orco tradar ipse prius, quam te mandem obliquioni.

28. — Dum spiritus hos reget artus, tui meminero.

29. — Quamdiu supererit in nobis halitus, non quivero tui non meminisse.

30. — Dum in vivis agam, usque vivet in me tui memoria.

31. — Is mihi dies vitae finis erit, qui tui obliquonis erit initium.

32. — Idem casus hanc animam, teque e meo evellet animo.

33. — Donec me superstitem esse sicut superi, tui perpetuo recordabor.

34. — Dum quidquam vitalis caloris in hoc pectore palpitabit, tui memoria non evanescet.

35. — Non mihi diuturnior vita futura est, quam tuorum meritorum memoria.

36. — Non mihi brevior fuerit tui memoria, quam ipsa vita.

(1) Cfr. an. II, fasc. VI.

VACUI TEMPORIS HORA

Assentior *Subalpino* eiusque de sobrietate praeceptis, neque ab iis deficere puto si **in cibario argumento** insisto; eoque magis quod ea, quae hodie sum dicturus, non certe ad ingluviem et heluationem stimulant, sed innocentem curiositatem respiciunt. Agitur enim de singulari quadam coquinariorum verborum origine, quam non sine aliquo delectabili studio in annoso quodam a *Guillelmo Leimario* edito libro nuper legi, qui mihi forte in manum venit. Relata refero, sitque auctori suus honor et etiam.... sponsionis poena; nobis autem a tot tantisque curis undique prementibus honesta avocatio.

Caro igitur, iuxta nostrum, dicta est quia «cara», sive «a creando», unde et a *Graecis ορέας* vocatur. *Crudum*, quod sit «cruentum»; est enim cum sanguine coctum; *coccum* autem quasi coactum dicitur, id est ab igne et aqua violento modo actaque comedioni aptum. *Assum*, quod ardeat, «quasi arsum»; *elixum* eo quod in aqua sola decoquitur: lixa enim aqua dicitur ab eo quod sit soluta: unde «et solutio libidinis laxus, et membra loco mota luxa dicuntur».

Frixum a sono dictum, quando in oleo ardet; *salsum* quasi sale aspersum, «demptis a medio syllabis tribus». *Rancidum* ex vitio nuncupatum, quod «raucos efficiat». *Succidia*, «carnes in usum repositae, a succidendo dictae»; *lardum* autem ex eo quod in domo repositum conservatur; «nam antiqui domos lares dicebant»; *taxea lardum* est Gallice dictum; *axungia*, ab unctione vocata; *sebum* a sue derivatum, quasi «suebum», quod plus pinguedinis hoc animal habeat.

Sufficitne? Quin imo prosequamur.

Offa (monet noster) est proprie frustum dentium, cuius diminutivum *offellam* facit; unde et «offarii coci», quia particulatim, id est affatim, excoquunt. Nunc offa est latrantum, quia si in os canis iacitur, satiatus illico compescitur et silescit. *Frustum* vocatum, quod «capiatur a frumine»; est enim frumen summa pars gulæ».

Pulpa dicta est quod cum pulte olim commixta vesceretur (?); unde et *pulmentum* et *pulmentarium* dicitur: pulpa autem est caro sine pinguedine, «dicta quia palpit: resilit enim saepe». Hanc plerique *viscum* vocant eo quod glutinosa sit.

Farcimen caro concisa et minuta, dictum quod eo institutum farciatur, hoc est impleatur cum aliarum rerum commixtione. *Minutal* vocatum, quod fiat de piscibus et isiciis oleribusque minutatim concisis. *Afratum* latine proprius spumeum vocandum est; ἄφρος enim Graece spuma dicitur.

Martisia in mortario ex pisce fiunt; unde et nominata. *Isocen* pisces quendam vocant, ex quo primum isicia facta sunt; et quamvis ex alio genere piscium fiant, initio autem piscis vocabulum dedit.

Nunc quidem, ne aquis, in quas incidimus, trahamur, imo praetevertamur, claudamus rivos.

*
*
*

A veteribus ad novissima.

Loquelam lampadi electrica virtute incandescenti inducere, hoc est ea tamquam telephonico receptore uti, res est quam profecto pauci sibi fingerent. Atqui doctor quidam rationem nostris diebus patefecit id efficiendi. Si — ita ille — in huiusmodi lampadis filum microphonie cursus immittitur, permutata vis cursus ipsius immutationes in

metallicae fibrae temperatura apportabit. Fibra autem vibrationes passa, vitream ampullam earum participem faciet, quae proinde congruentes sonitus emittet.

Res, cui lampades ex candelis centum ad minimum necesse sunt, eo certius succedit, si fibra spissior habeatur, vitrumque subtile; tum enim temperaturae immutationes maiores evident vitrumque facilis vibrabitur. Lampas autem cum microphono iuxta consuetam rationem connectitur, intercalando scilicet «inductionis bobinam», ne electricus microphoni cursus circuitum subeat, unde alitur lampas.

*
*
*

Cursus... sellularius.

Computationes ab Anglo quodam mathematico peractae in dubitationem inducunt num iure meritoque ad longa itinera nos aliquando committamus, si... At favete linguis.

Motus tum translationis tum rotationis parvae huius nostrae terrae inter se conferendo, id facile deducitur, hominem quemvis in sella sua commode et pacifice sedentem, singulis horis 137 600 chilometra peragrare. Re quidem vera ob motum rotationis, quem terra agit circa suum axem, quisque nostrum, licet immobilis, spatium 1600 chm. singulis horis conficit; praeterea globus hic noster circa solem pererrans non minus quam 105 000 chm. eodem tempore absolvit. Neque satis: sol enim invicem per caelos movetur diurna celeritate chm. 701 000, hoc est singulis momentis sexaginta, chm. 30 000. Horum numerorum summa ad huiusmodi exitum adducit, ut omnes ne subsentientes quidem per 137 600 chm. singulis horis trahamur, scilicet magis quam tricies centum milia chm. per diem. Auferamus cavilla; non aedepol nugas in hoc itinere facile agemus!

*
*
*

Loci.

Genutius Gellio linteolum furtim subtraxit. Videt postea Gellius in manu condiscipuli, atque alte repetit. Negat alter; rixatur; paedagogus accurrit.

— Mea res est — clamat Genutius.

— Littera *G* in linteolo impressa manifeste proprietatem meam indigitat.

— Seio equidem litteram illam in linteolo esse; caput enim nominis mei ipsa est.

— Atqui patefacias tu, si vales, cui nam ex quattuor linteoli angulis apposita fuerit.

Gellius trepidat; paedagogus, re graveri perpensa, Genutio linteolum attribuit.

Centurio adscriptivos milites instituens, quum horizontis cardines fuse descripsit, tironem, visu vere fungum, interrogat, ut experiatur rectene intellexerit.

— Heus tu! Si in conspectu septem triones habes, ad dexteram orientem solem, ad laevam occidentem, quid tibi est pone humerum?

— Militaris pera, domine mi.

*
*
*

Aenigmata.

I.

Totum quid amat? Pabulum.
Primo ius sacrum teritur;
Frugum parens est *alterum*.

II.

Sum dux parva viae, cum nox complectitur [orbem,
Cynthus et fessos aequore mersit equos.
Ventre tolle, nihil me mollius esse videbis;
Venti iunge caput, duris esse nihil.

(Aenigmata in superioribus numeris proposita his respondent: Fase. VII primum *Coclea*, alterum *Pruna-Pruina*; fase. VIII primum [vulgo *Rebus*] *Incensus supersede*, alterum *Aroma*).

IOSFOR.

ROMA SACRA

Acta Benedicti PP. XV.

Constitutio Apostolica de sacro ter peragendo in die commemorationis omnium fidelium defunctorum.

Per Apostolicam Constitutionem datam d. x mensis Augusti MCMXV SS. D. N. Benedictus XV facultatem universo orbi extendens a praedecessoribus suis iam regnis Hispaniae et Lusitaniae concessam, ut scilicet cuilibet sacerdoti e regionibus utriusque principi subiectis facultas fieret in sollemni commemoratione omnium fidelium defunctorum ter litandi; eo maiore in defunctorum animas miseratione nunc permotus, quum, luctuosissimi belli facibus Europae fere omni admotis, cernat paene ante oculos tantam hominum copiam, aetate florentium, immaturam in proelio mortem occumbere, quorum animabus expiandis etsi defutura non sit propinquorum pietas, eam tamen necessitati parem nemo dixerit, in perpetuum decrevit, ut:

I) Liceat omnibus in Ecclesia universa Sacerdotibus, quo die agitur sollemnitas commemorationis omnium fidelium defunctorum, ter sacram facere; ea tamen lege, ut unam e tribus missis cuiuscumque maluerint applicare.

(1) Mens haec a verbis *Constitutionis* quae sequuntur manifesto declaratur: « Christifidellum, qui Missas in defunctorum solacium celebrandas vel quovis modo statuerint vel testamento legaverint, pia haec instituta et legata dolendum est partim deleta, partim ab iis negligi qui minime omnium debeant. Huc accedit ut ex iis ipsis, quorum explorata religio est, non pauci redditum imminutione cogantur, ad contrahendum Missarum numerum, supplices Apostolicam Sedem adire. Nos igitur, denuo conscientiam eorum graviter onerantes, qui suo hac in re officio non satisfaciant, caritate in

care et stipem percipere queant; teneantur vero, nulla stipe percepta, applicare alteram Missam in suffragium omnium fidelium defunctorum; tertiam ad mentem Summi Pontificis. (1)

II) Quod Clemens PP. XIII, litteris die XIX mensis Maii a. MDCLXI datis, concessit, id est, ut omnia altaria essent eo ipso sollemnitas commemorationis die *privilegiata*, id, quatenus opus sit, auctoritate ipsius Benedicti PP. XV confirmetur.

III) Tres Missae, de quibus supra dictum est, sic legantur, quemadmodum fecit. Benedictus PP. XIV pro regnis Hispaniae et Lusitaniae praescripsit. (2)

Qui unam tantummodo Missam celebrare velit, eam legat quae in *Missali* inscribitur legenda in *Commemoratione omnium fidelium defunctorum*; eandem adhibeat qui Missam cum cantu celebraturus sit, facta ei potestate anticipanda alterius et tertiae.

IV) Sieibi acciderit, ut Augustissimum Sacramentum sit expositum pro Oratione XL Horarum, Missae de Requie, cum vestibus sacerdotalibus coloris violacei necessario dicendae (Decr. Gen. S. R. C. 3177-3864 ad 4), ne celebrentur ad *Altare Expositionis*.

defunctorum animas, qua vel a pueris incensi sumus, vehementer impellimus, ut omissa cum ingenti earum detrimeti suffragia quantum in Nobis est, aliquo pacto suppleamus».

(2) Prima Missa est, quae inscribitur in Missali Romano die commemorationis omnium fidelium defunctorum; altera, quae in eodem Missali habetur in anniversario defunctorum, cum sequentia *Dies irae* et suis orationibus; tertia est quae legitur in Missis quotidianis defunctorum, pariter cum sequentia *Dies irae* suisque orationibus (Ex decr. *Urbis et Orbis a. S. C. Rituum* dato d. XI mens. Augusti MCMXV).

FRANCISCVLI PRANDIUM (1)

Franciscus, seu potius Francisculus, — hoc enim diminutivo nomine vulgo eum appellant —, humili loco natus, etiamtum puellus, parentibus misere orbitatus est, et ab Hippolyto atque Lucretia coniugibus, sobole parentibus, benigne exceptus et altus. Nec beneficio indignum puer se praebuit, qui sua sorte contentus, et bene oboediens, et pudicus crevit et officiosus, patronorumque suorum vere mancipium, quam maxime, vel in domestica omni re, eorum commodis inserviens. Quo factum est, ut quum Lucretia — eo vix duodecim annos agente — e vivis et ipsa migrasset, Hippolytusque urbanis rebus sese abstinere tandem constitisset atque in suburbano vivere, Francisculus non solum libenter sit eum sequutus, sed etiam rogaverit ut servos omnes removeret, seque uno in diurno ministerio uteretur. Assensit Hippolytus, neque eum poenituit; siquidem puer re ostendit nihil posse amplius a famulo desiderari. Omnia enim ille diligentissime comparare, quae non tantum necesse, sed voluere hero suo forent; quin ea cogitando praeceavere et efficere. Hodie nominalis Hippolyti dies recurrit: num creditis et hoc a Francisci mente, tot licet prementibus negotiis, demissum? Nescit tamen apprime, ob eamque rem executit intelligentiam suam, quando et quomodo munuscula, quae, tamquam amoris pignus, hero suo offerenda sibi comparavit, baculum cum capulo eburneo et ocularia vitra aurato circulo redimita, ei exhibeat, quo gratiora evadant, atque... Sed eum ipsum audiamus, qui res illas manu gestans ratiocinatur:

— Maete ingenio, domine mi carissime; perge! Nominalis hodie tuus est dies, ob eumque affectu tacito unice te laetari putabas... Incassum tamen; Francisculus enim mysteria tua omnia aperire valet, eoque magis quam grati animi sui debita occasio aliqua solvendi occurrat. Memini vero, superiore anno, quum munusculum meum obtuli, eum nescio quid iniuriae mussitasse, imo increpasse, si in posterum talia renovarem, se reiecturum... Ad rem eius verba amussim deflectens, nonne dicam me ei morem gessisse, quia non unam sed binas strenas hodie subigam?.. Ego domini mei sensus pulchre calleo; oleo is eo tranquillior est, ut pro certo habeam, si per opportunitatem consulto geram, nihil iam esse quod is mihi succenseat. Expectemus igitur nobis hanc occasionem quasi incidentem de caelo!

Haec dicens baculum et conspicillum in armario reponit. Ingreditur interea Hippolytus manibus afferens involucrum et cachinnans: O lepidum facinus! O necopinatum eventum!

FRANCISCVLUS. — Quid est, domine mi, quod tantum tibi exhilarat animum?

HIPPOLYTUS. — Salve, Franciscule. Nequeo hercle quidem risu me admoderari!..

FRANC. — Num scire licet mihi?..

HIPP. — Nihil, puer. (Atqui si tabellio ille mortem tam subito cum vita non commutasset, optimum hoc mihi non erat negotium!) Ah! ah! (*Miros iterum risus edit*).

FRANC. — Aedepol! si omnes homines tui similes essent, nunquam orbis terrarum conficeretur aegritudine.

HIPP. — Quid profecto moearer? Meam non queror certe fortunam. Ego virtute Deūm et maiorum meorum dives sum satis. Post Lucretiae, uxoris meae, interitum — requiescat! — dulciorii pistoris artem deserui, cum dolore heluorum civitatis singulorum, quorum memoria concelebror; et in agellum hunc sub urbe recessi, ubi in utramvis aurem conquiescere mihi datur, vino et victu probo et electili validam vitam colens, curis omnibus vacuus, sollicitudine studioque septus a puero quodam, nomine Francisculo...

FRANC. — Taceas, quaeso; ne coram in os affatim laudando, me reddas superbum nimis. Quem natura patrem mihi abstulit, tu sublegisti: facere me pro copia et sapientia quae tu velis animumque tuum explere, nihil hoc praeter strictum officium meum semper arbitrabor. Quod si tandem dies dederint...

HIPP. — Oh! dies iam mihi satis dederunt, ut iis multa non ingerenda per me sint mala! Ultra enim uxoris mortem me non mulcarunt. At istis rebus supersedeamus. Pensumne omne fecisti? Verristi aedes?

FRANC. — Singula absolvı; imo et prandium iam est appositum ad Vulcani molestiam.

HIPP. — Do pignus, te mente haud concipere posse, quid in involuero hoc protegam.

FRANC. — In involuero isto... perdiū occultatur. Nonne ariolus fui?

HIPP. — Quinimo te fefellit animus. Est enim pullus Indicus. (*Involucrum explicat*). Mireris quam bene libenter sit cum eo victitandum!

FRANC. — Euge! Quam pingue et adipatum animal! Unde habuisti? Atque certe non vili pretio.

HIPP. — Verum minore nunquam

bene fui dispendio. Audi. Venio in macellum, rogito pisces, indicant caros; agninem, caram; caram bubulam, vitulinam, cetum, porcinam, cara omnia; et eadem vitiosa, quae cassa nuce ac titivillatio non emerem. E foro moestus revertetur, quum obvius mihi occurrit tabellionis eiusdem villicus cum magnifico hoc pullo. — O vere fortunatus — inquam — homo ille, cui huiusmodi esca instruatur! — Poteris ipse tu esse — sic ille — ; cui enim destinabatur, civitatis tabellio hodie Deorum mensa particeps factus est, ad superos heri sub vesperum raptus. Brevi, dato acceptoque pretio, quo vilius nunquam vidi, pullus in mean cecidit proprietatem. Quid tibi videtur huius mercimonii?

FRANC. — Optime quidem rem esse collocatam.

HIPP. — Haec caro assa esse quam elixa solet suavior. Eia, age, in te hononus nunc impositum. (*Concredit ei pullum*).

FRANC. — Convivamne tibi aliquem adduxisti?

HIPP. — Neminem profecto.

FRANC. — Ut igitur solus ingentem hunc pullum edas? Dimidiam partem ad crastinum diem servabo.

HIPP. — Heus, cave id facias! Certus ne sum in fame eras esurire acrius quam hodie? Nonne putas tabellionem illum piguisse quod tamdiu pullum suum alibiliorem fieri passus sit?

FRANC. — Ergo statim voras.

HIPP. — Ita quidem, vorabo.

(*Ad proximum numerum*).

I. F.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Ex off. S. LAPI in Civitate Castelli.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italianam libell. 12 (doll. 2.40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ☈ ☈

MONITUM

Quemadmodum in superiore anno actum est, per hunc Novembris mensis fasciculum, quem speciminis gratia per orbem late diffundimus, subnotationem extraordinariam indicimus pro iis qui ad societatem nostram sint ultra accessuri. Hi profecto ab hodierna die ad expletum annum MCMXVI commentarium habebunt immutato annuae subnotationis pretio, quod est in Italia libell. 9, ubique extra Italianam libell. 12, ante solvendum rectoque tramite mittendum ad Doctorem JOSEPHUM FORNARI, Equitem torquatum, Romam, Via del Governo Vecchio, 96.

Qui autem integrum Aliae Romae collectionem sibi cupiat, scilicet a mense Maio MCMXIV ad mensem Decembrem MCMXVI — (supersunt vero eiusdem colle-

ctionis non plura exemplaria) — mittat si in Italia libell. 22; undique extra Italianam libell. 28.

Pecuniae traditio poterit sive per publici cursus mandatum, sive per syngrapham apud aliquam nummariam mensam Romae exigendam; sive etiam per commissiōnem apud extera in Urbe seminaria et collegia, in quibus omnibus clien-tes adnumeramus.

Confidimus fore ut sollicitudini nostrae multorum favor respondeat; eritque vel maxime si qui in societatem nostram adlecti iam sunt, nomina virorum aliquot nobis pro sua humanitate indicare velint, quibus specimen commentarii nostri non sine felici exitu tradere possimus; quod quidem etiam atque etiam eos rogamus.

ALMA ROMA.